

delos: Psalm. xxxii, 1. Jes. XLIV, 22. XLIII, 24. A
25. LIII, 4. seqq. Mich. VII, 18. 2. Corinth. V, 21.
Gal. III, 13. seq. *Huc Filii Dei pro peccatis expian-*
dis incarnatio, & ad mortem usque obediens subjectio:
Phil. II, 6. seqq.

USUS E VERSU V.

- (1) Beatitudo vera fuit ex aggregatione ad eccle-
siam.
- (2) De Dei Electione Ephes. I, 4. L. de Prae-
dest.
- (3) Vocamur & appropinquantes reddimur solâ
Dei gratiâ: Eph. II, 12. 13.
- (4) Habitamus in atriis Domini, admissi ad com-
muniorem sanctorum, familiariter cum Deo conversan-
tes, quotidie sacrorum spectatores, &c.
- (5) Optima animarum satietas ex bonis domus
Dei, b. e. ex informatione, consolatione, illuminatione,
&c. caduca mentem haut expleat, expleat autem caele-
stia.
- (6) De sanctitate templi non tam externâ, quàm
internâ, v. præc. III. Optima suavitas, sentire Spi-
ritum S. in corde nostrò clamantem: Abba: Rom.
VIII, 15.

USUS E VERSU VI.

- (1) Deus est noster Jesus, nostra salus.
- (2) Respondet Deus non tam verbaliter, ut olim
per Urim & Thumim, quàm realiter.
- (3) Respondet terribilia, hostibus scilicet animum
adimendo, perturbando, horrendas plagas immitte-
ndo, &c.
- [4] Justè cuncta administrat Dominus, cuique pro
meritis reddendo, &c. Pl. LXII, 13.
- (5) In Deo confidere debent omnes atque singuli
terræ marisque incolæ, propinqui, longinqui, &c.
L. de Gratia ampliat. Gentium vocatione, &c.

USUS E VERSU VII.

- (1) Montes peculiare potentie sapientiaque divina
monumentum. Eminentes adeò, nec tamen corruentes
ventorum impetu, &c. commonefaciunt nos Creato-
ris, excelsa corroborantis fortiter.
- (2) Homo fortiter in bellò agens, delassatur tan-
dem, (2. Sam. XXI, 15.) At Deus noster, potentia
semper accinctus permanet, semper idem: Psal. CII,
28. L. de Omnipot. Dei.

USUS E VERSU VIII.

- (1) Immensa vis maris commoti: immensus horror
in mari tunc agitatorum hominum: at Deus omnia
compescit verbulo. Matth. VIII, 26.
- (2) Fluctuum marinorum, exercituumque tumultu-
antium, egregia convenientia.
- (3) Utrig, detumescunt, increpante Domino. Senna-
cherib evanescit; Syri diffugiunt, &c. 2. Reg. VII, 6.
XIX, 35. &c.

USUS E VERSU IX.

- (1) Signa & miracula divina barbaras etiam com-
moverunt gentes. Jos. II, 11.
- (2) Veneremur nos potius eundem humillimè, ut qui
pro illis edocti sumus melius, indies novorum spectatores,
&c.

PSALMI LXVI. DISPOSITIO.

Fornax probationis. Laudate Deum, ut ego.

Continet hic psalmus eucharisticus.
I. Propositionem: *clangite Deo*

(3) Cœlestia astrorum spectacula, manè vespérique
velut producta, nos ad laudum divinarum excitent offi-
cia. Jubilant astra, dum jubilantes nos in Creatore
deliciamur.

(4) Nostrum est, exitus proprios, tam matutinos
quàm vespertinos, decenter ad iussum Dei observare, at-
que sic in Deo lætari.

USUS E VERSU X.

- (1) A Deo est terræ fecunditas, ipse visitat, irri-
gat, ditat, &c. quis enim regum vel guttulam pluvie è
nubibus evocare posset omni suâ potentia? v. Lev.
xxvi, 4. Deut. xxviii, 24. Job. xxxviii, 28. Jer. xiv,
22. 1. Reg. xvii, 14.
- (2) Opulentia Terræ est admiranda, dum profert
tot arbores frugiferas, vites, frumenta, herbas, gemmas
metalla, mineralia, &c. atque hæc cuncta benedicente Do-
minò.
- (3) Rivus divina benedictionis nunquam affluxu ca-
ret minui potest.
- (4) Messis larga, nec non vindemia, uni adscribenda
Deo. Prov. X, 22.

USUS E VERSU XI.

- (1) Pluvie præclara sunt omninò commoda.
- [2] Terra siticulosa parum proferre potest nisi cae-
lum concurrat, sic homo nil sine Deo.
- (3) Instar terra liquefiant corda dura verbò caeli-
tùs delapsò: Deut. xxxii, 2.
- (4) Germinibus benedicit Dominus, contra arcet
insecta, erucas, uredinem, &c. è diverso tempestatem con-
cedit commodam. Sic in spiritualibus sine Christo nihil
valent nostra omnia: Joh. xv, 5. 1. Cor. III, 6. 2. Cor.
III, 5.

USUS E VERSU XII.

- (1) Annus bonitatis divinæ est, qui secundum
quævis sua tempora, menses diesque beneficiis divinis est
refertus, nobisque mortalibus gratiosè conceditur. Alli-
ciamur inde ad Benefactoris dilectionem, cultum, celebra-
tionem, obsequia.
- (2) Coronatur annus, b. e. egregiè exornatur & a-
mabilis redditur: aliâ verus, aliâ æstatis, aliâ autumnii,
aliâ hyemis corona. Omnia à Deo homines amante
intimè: Prov. VIII, 31. Deut. xxxiii, 3.
- (3) Dei visuantis vestigia non sine pinguedinis mul-
tiplicis copiâ.

USUS E VERSU XIII.

- (1) Pascuorum pratorumque proventus autorem ha-
bent Dominum.
- (2) Colles amænè florentes gaudium in hominè
provocant, Dei laudibus occupatum. Agnoscitur hoc
demum rectè, quando exsiccata omnia aliâ quândiu stete-
runt miserè, jumentis nil pabuli reperien tibus, &c.

USUS E VERSU XIV.

- (1) Pecorum abundantia insigne regionis ornamen-
tum atque commodum.
- (2) Frumenti fertilitas hominum brutorumque pro-
speritas: quanta enim famis miseria?
- (3) Exultandum cantandumque, dum talibus in
pace ac sanitate fruiliet, Patre cœlesti tam benignè nos
curante: Matth. VI, 28. seq. Psal. CIV, 10.